

Venditiones, ac cessiones jurisdictionis in Castellis, aliisque finitimis castris factæ Alexandrinis ab earum dominis.

150

MCCXVII.

Anno Incarnationis Domini MCCXVII., indictione V., die Veneris 10. exeuntis decembris. In Alexandria in majori Ecclesia S. Petri in pleno consilio præsentia honorum hominum ec. 10
D. Anricus filius quondam Ottonis chechil. confitendo se esse majorem 25. annis vendit in allodium D. Vermo de Mandello potestati Alexandriæ quintam partem territorii de Canellis, & totam suam caminatam, quartam partem turris Metanæ de Canellis, & quartam partem Castellaniæ Freni, & totum hoc quod habet in Sexamo, Muascha, & Luazolo, & S. Marciano, & in Mascua, & totum hoc quod habet, & visus est habere in toto cortili de Canellis, & in omni- 20
bus aliis locis, & villis, Ecclesiis, monasteriis, & advocatis constituendo se possessorem in omnibus istis rebus nomine communis Alexandriæ finito pretio den. bon. Astens. lib. 120. interfuere testes D. Bonifacius de Verdobio.

Eodem die anno, & loco D. Ruffinus Croza suo nomine, & nomine Vermi fratris sui vendidit in allodium D. Vermo de Mandello quartam partem Garbazole, & medietatem turris de Garbazola suo nomine, & nomine Vermi, & 30
Guercii fratrum suorum. Item vendit medietatem pro indiviso palatii a parte turris Calamandranæ, & totam turrim Castri Mezani de Calamandrana. Item nomine Guercii medietatem caminata de Sexamo, & partem turris de Sexamo, & totum hoc quod habent, & visi sunt habere, & tenere in castro, & villa S. Martiani, & Soirani, & eorum territoriis constituendo se possessorem nomine communis Alexandriæ pretio den. bon. Astens. lib. 85. 40

Eodem die, anno, & loco D. Otto Corbellarius vendit in allodium D. Vermo de Mandello quartam partem Garbazolæ, & medietatem turris Castri Mezani de Calamandrana, quæ dicitur Corbellariorum, & totam suam partem de Calamandrana, & totam suam partem de Soyranò, & totum, quod habet, & habere visus est in omnibus aliis locis totius cortilis de Canellis pretio librarum 44. Astens.

Eodem die, anno, & loco D. Anricus 50
Danisius suo nomine, & fratris sui Jacobi vendit in allodium potestati Alexandriæ quartam partem Garbazolæ, & medietatem turris de Garbazola, & totam suam partem, & fratris turris, & palatii de Canellis, quæ dicitur Balborum, & totam suam partem, quam habent in turri, & caminata Lovazoli, & totum, quod habent in villa, & castro S. Marciani in Muascha & in aliis locis de cortili Canellis pretio lib. 76. 60

Literæ Honorii III. Papæ, quibus recipit Alexandriam sub protectione S. Sedis, & vetat ne alii cuiquam fidelitatem faciat.

MCCXVIII.

151

Honorius Episcopus Servus Servorum Dei dilectis filiis potestati, & populo Alexandrino salutem, & Apostolicam Benedictionem. Devotionem vestram dignis in Domino laudibus commendans, quod vos memores, qualiter pro Apostolicæ Sedis honore fuit civitas vestra constructa, unde a fel. record. Alexandro PP. Prædecessore nostro, cujus tempore facta fuit Alexandria, nomen assumpsit, & ei Sedi postmodum se constituit censualem, recognoscens eandem specialem Ecclesiæ Romanæ filiam nunc fidelitatis juramentum eidem Ecclesiæ præstitis, propter quod eo magis ad honorem, & commodum vestrum, & civitatis ejusdem intendimus, volentes ipsam speciali nostra protectione muniri, quo plenius ad nos, & prædictam Ecclesiam sinceritatis, & devotionis exhibuistis affectum. Quo circa universitatem vestram rogandam duximus, & hortandam per Apostolica scripta mandantes, quatenus in devotione, ac fidelitatis Sedi Apostolicæ persistentes nulli absque speciali mandato nostro fidelitatem de cetero faciatis. Datum Romæ apud S. Petrum XII. cal. maii Pontificatus nostri anno tertio.

Protestatio Consulium Aquensium in Alexandrinos propter occupationem Meladii.

MCCXVIII.

152

Anno Incarnationis Domini MCCXVIII., indictione VI., die Sabati VIII. septembris in platea S. Crucis de Melaz constitutis ibi plurimis Aquensibus, & Alexandrinis sapientibus, surrexit Ubertus de Burgo consul Aquensis, & pluribus verbis præmissis de tenore concordie Alexandrinæ, & Aquensi, & de multis servitiis, quæ prius concordiam Aquenses fecerunt Alexandrinis, proponens quoque, & rememorans excessum, quem Thebaldus, & Jacobus Camera de Melaz fecerant de castello, & turribus de Melaz contra Aquenses, unde communis Aquis erant vassalli, & quas turres Aquensibus denegabant contradixit Petro Carrariæ Alexandriæ potestati, qui illas turres habebat munitas subdole, & exinde contrahebat cum Vassallis prædictis ex parte D. summi Pontificis, & D. Imperatoris, & communis Aquis; & in Sacramento quo Aquensibus tenebantur ipsi Alexandrini, ne inquietaret, & caperet jus, quod ibi habebat commune Aquis, maxime cum teneretur conservare, & defendere, & quod illud castellum, sive turres, quas habebat, communi redderet Aquis, unde hanc chartam fieri rogavit præsentibus presbitero Anselmo, Uberto Mantea, magistro Henrico, Henrico Bucaz, Vasta Palea, Ogerio Arario, & Gosberto.

Alia pro eadem causa.

MCCXVIII.

153

Anno Domini MCCXVIII., indictione VI., die Martis IX. exeunte octobri in majori curia